



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Excellentissimo Et Illustrissimo Domino, D. Lv dovico Stvarte Ex Ducibus
Lenoxiæ Et Richemvndiæ, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

EXCELLENTISSIMO
ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,
D. LVDOVICO
STVARTE
EX DUCIBUS LENOXIÆ
ET RICHEMVNDIÆ,
COMITI D'AVBIGNI,
SERENISSIMÆ REGINÆ ANGLIÆ
SUMMO ELEEMOSYNARIO F.



AGNAM præsidii vim in illustrium virorum nominibus operum suorum fronti præfigendis sitam esse sacris juxta ac profanis scriptoribus semper est visum. Ex horum quippe favore securitatem, ex nobilitate patrocinium, ex auctoritate pondus aliquod & momentum suis accessurum lucubrationibus sperabant; ex luce denique ac splendore lucem & existimationem in eos quos tunc conscribebant & in publicum dabant libros derivatum iri ominabantur.

EPISTOLA

Longiùs mihi eundum non fuit, EXCEL-
 LENTISSIME PRINCEPS, nec diuturnâ
 deliberatione utendum, quem operi huic
 Theologico Patronum asciscerem, cujus,
 inquam, auspiciis in lucem illud ederem, no-
 ménque honoris causâ præfigerem, cùm TE
 fulgentissimum lumen, & domi, ut ita dicam,
 intra ipsos scilicet Britanniaë fines ortum fi-
 dus intuear, cujus radii, non microcosmi no-
 stri limitibus coërcentur, sed longè latèque
 diffusi omnium oculos perstringunt, orbem-
 que non parum illustrant. Sub hoc ergo tam
 fausto benignoque fidere cùm nascatur, ac
 lucem primò aspiciat, si eorum, qui natalitia
 sidera, stellarumque in rei cujusque ortu ap-
 parentium aspectum conjunctionemque no-
 tant, observationi conjecturæque credimus,
 prospera ei cuncta & felicia, secundissimò-
 que eventura cursu, non vanus quis augur
 existimaverit.

Et sanè, dum ea quæ in TE summa sunt
 confidero, singularésque tuas Excellentias
 accuratè mecum perpendo, nullus mihi TE
 aptior videtur, cui labores hosce Theologi-
 cos consecrem, eorumque protectionem ac
 patrocinium committam. Et ut ex iis, quæ
 amplissima in TE splendidissimaque existunt,
 nonnulla recenseam, ea imprimis menti
 occurrunt, quæ prima mortales putant,
 cunctis-

D E D I C A T O R I A.

cunctisque admirationi esse solent, nobilitas scilicet generis, & stirpis ac familiæ decus; hæc autem quanta tibi, quamque conspicua sint indicat natalium splendor, utpote qui ex Regum stemmate prognatus cum maximis in Europa Regibus ac Principibus arctissimo propinquitatis vinculo sanguinisque participatione conjungeris, eos insuper natus es Majores, qui ob res præclare gestas, atque eximia domi militiaeque parta decora, & summam sibi laudem amplissimosque honorum titulos compararunt, & posteris reliquerunt.

Hæc esto magna esse & præclara inficias ire nemo queat, ac non parum ornatûs secum & existimationis afferre omnium judicio soleant: aliam tamen in TE, priorisque haud paulò præstantiorem nobilitatem cerno, quam non splendida Avorum nomina, non stirpis & familiæ claritas ac stemmata gentilitia, non ampli honorum tituli relictæque à Majoribus decora, sed innocentia vitæ, morumque integritas & candor, ac pietatis studium, constansque divini honoris & cultus zelus & ardor TIBI pepererunt.

Quanta verò in TE isthæc, quamque eximia sint, variæ Europæ Provinciæ præclaris vitæ tuæ exemplis illustratæ testantur & prædicant, jucundissimæque & nunquam

E P I S T O L A

apud illas interiturâ virtutum tuarum memoriâ haud mediocriter recreantur. Hæc veram nobilitatem & splendorem conferunt, hominémque in sublimiore loco & gradu collocant, & clarum maximè reddunt ac illustrem. Virtus nimirum generosus est animi sanguis, sui que cultores, quæ ea cunque eorum fors fuerit & conditio, Magnates & Heröas efficit; hac verò quisquis caret, quantumvis splendidè ornatus incedat, auróque & gemmis onustus, ac numerofo cinctus & stipatus famulorum grege, hic inquam ab æquis rerum æstimatoribus nobilis censendus non est, sed sub specioso nobilitatis titulo animum gerit plebeium.

Sola ergo virtus ad veri honoris culmen & fastigium evehit; honor verò omnis in virtute non fundatus fictus est & umbratilis, & quantum à virtute, tantum à genuina propriâque honoris ratione disjungitur. Hinc sagax antiquitas illorúmque temporum perspicaces viri, honoris & virtutis templa ita exædificabant, ut nisi per templum virtutis, ad honoris templum aditus non patêret, id nimirum insinuantes, qui in virtutis semita non incedit, ad honorem pertingere posse neminem.

Hinc ergo, ut ad TE redeam, PRINCEPS, omnium in TE oculi coniecti, hinc tantus
 passim

D E D I C A T O R I A.

passim TIBI habitus honos, tanta Tui apud omnes veneratio: virtutis quippe templum ingresso facilis ad honoris templum patebat aditus. Hinc insuper summum TIBI honoratissimúmque in Reginae aula collatum officium. Hinc, quod caput est, Serenissimo ipsi Regi CAROLO charus adeo acceptúsque semper extitisti: hoc nimirum tum aliae Tuæ virtutes, tum Fides & amor, integerrimúsque in benignissimum benevolentissimúmque Principem animus effecerunt. Nec minima TIBI ex summâ qua polles prudentiâ, singularique in rerum maximarum administratione peritiâ oritur commendatio. Accedit animorum conciliatrix comitas, ingenitâque TIBI à naturâ benignitas, per quam amicâ quadam vi, suavique violentiâ ad TE cunctos attrahis, attractósque, plus quàm adamantinis TIBI vinculis astringis. Alia, eâque nec pauca nec exigua ad honorem Tuum facientia hîc afferre possem, sed animi Tui modestia longiùs me in laudes Tuas ire non finit, quare eorum relatione supersedebo.

Accipe ergo, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, hoc opus, multis TIBI nominibus debitum: accipe, inquam, ut studii in TE mei & observantiæ, sinceraeque voluntatis argumentum, & quamvis exiguum ac tenue, Tuæque digni-
nitati,

EPISTOLA DEDIC.

nitati, splendori & merito impar, benigno
tamen illud oculo intuere, Solis instar, qui
non cedros tantum, nobilissimasque illas
ac speciosissimas arbores, sed humiles etiam
myricas, & minimas quasque plantas ac ger-
mina aspectu suo dignatur & fovet: sic Tu
hoc opus, labores, inquam, hosce Theologi-
cos solitâ Tuâ comitate & benignitate am-
plexere, fulgore illustra, auctoritate deni-
que, quam habes maximam, defende.

EXCELLENTISSIMÆ ET ILL.^{ME} DOMINATIONIS VESTRÆ

Humillimus in Christo servus

THOMAS COMPTONUS CARLETON.